

Benedictus Andreas Cuppius


**Oratio De Henoch Patriarcha Septimo : qui vere visibiliter, & corpore vivo in
academiam coelestem assumptus est. In qua Commemorantur ea cum primis,
quae ordinem litterarium & academicum mirifice commendant**

Goslariae: Vogtius, 1621


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787918962>

Druck Freier  Zugang






Fe 1528.



17.11



ORATIO

De

HENOCHO PATRIARCHA SEPTIMO,
qui verè visibiliter, & corpore vivo
in academiam cœlestem as-
sumptus est.

In qua

Commemorantur ea cum primis, qua ordinem lit-
terarium & academicum mirificè
commendant.

Scripta & publicè recitata

In illustri Academia VVIA ipsa die dominica 17.
post Trinitatis;

à

BENEDICTO ANDREA CVPPPIO
Cellerfeldensi, Philosophiæ & S. S.
Theologiæ Studio.

GOSLARIÆ, Typis IOANNIS VOGTL.

17-1528. CID IO CXXI.

11. 5!

Napoleo Anglico et consubstituto suo
DN: JOHANNI AFRICANO V. I. D.
et Suis in Megalopolitana urbe
cancellario interno promotori suo
maximo, ultimam hoc orationis
exemplar mitti aucto cum
officio sa salute.



UNIVERSITÄT ROSTOCK
BIBLIOTHEK
Rostock
1833

*Generosis Nobilissimis, Magnificis, Fortibus, Strenuis,
virtute & eruditione praestantissimis viris, Illustrissimi Prin-
cipis ac Domini, DN. FRIDERICI HVLDERICI Ducis
Brunsvicensis & Lunaburgensis, Consilia-
rii intimi.*

DN. ANTONIO von der Streithorst produci praelustri, avi, patrisq;
sui Mecœnati.

DN. BARTOLD O A Rauttenberg Proprinc'pi & Satrapæ.

DN. FRIDERICO AB Wdern Procancellario.

DN. CONRADO A Schwichold Satrapæ & Venatori supremo.

DN. HENRICO A Mengerssen designato Capitaneo metallico.
eiusq; suo liberalissimo.

NEC NON

*Clarissimis, Reverendis, Consultissimis, Doctissi-
mis viris,*

DN. ERICO CLACIO J. U. Doctori & Consiliario eximio.

DN. HERMANNO JACOBO Meyern cœnobij Schöninge-
sis Præposito, & summo ærarij Præfecto.

DN. BARTOLDO Rittern Secretario, parentis sui amico veteri.

DN. BARTOLDO CVPPIO Pastori Horneburgensi patruo
suo.

VT ET

Viris Integerrimis & Experientissimis

DN OTTONI Brendesen rerum metallicarum quæ sunt Gosla-
r æ summo præfecto.

DN. JOANNI Herborten Cellerfeldæ Decimatori.

DN. ANDREAE Fischern Senatori & negotiatori felicissimo jura
Claußthal.

*Dominis Mecœnatibus, fautoribus & promo-
toribus suis apprime suscipiendis &
summâ observantiâ colendis.*

Salutem perennem ac felicitatem
perpetuam.

DE Alphonso Rege Neapolitano (qui unus ex sapientissimis, & valde doctus fuit, quanquam cum Davide variabilem habuit fortunam) inter alia memorabilia legitur : quòd cum casu disputationi duorum consiliariorum intervenisset, (quorum alter apud Gallie Regem fuit) & quæreretur, qua de re disputatio esset : dicti Regis consiliarius ei responderit, quòd Reges litteras discere non deberent : verùm satis esse si litteratos & doctos foverent. Ibi Alphonsum dixisse scribunt: vox bovis, non hominis est.

Percontantibus quoq; aliis : utri rei plus se debere fateretur : librisne, an armis ?

Ex libris, ait, & arma, & armorum iura didici.

Sic Robertus Sicilia Rex: ego, inquit, iuro, dulciores & multò cariores mihi litteras, quàm regnum esse : & si alterutro carendum sit, æquanimius me diademate, quàm litteris cariturum.

Cedant arma togæ, concedat laurea lingua,

Ciceronis elogium ab invidis reprehensum sonat.

Quibus sententiis controversia tollitur.

Virum altero præstantius sit, studiumne litterarum, an equestre?

Et certè illud huic præferendum esse, ipsi equites astipulantur & demonstrant.

Olim enim caudas equinas in pileis gestarunt, quibus præ pudore abiectis, pennas sibi imposuerunt, & eas in vertice capitis habent, tanquam trophæum à litteratis positum : Pennæ enim artificium scribendi denotant.

Atq; huius sententiæ approbator itidem Sigismundus imperator est.

Ab illo enim cum quidam legum Doctor equestris militiæ insignia accepisset, postea de rebus quibusdam deliberaretur, ac legum Doctores hinc, equestres inde seorsim consisterent, hic Doctor dubitavit, u-

trum.

rum his, an illis se adiungeret: cumq̄ ad equestres inclinaret: stulte,
ait, imperator, qui litteris militiam prefers: Nam ego equites mille u-
no die fecerim, Doctorem unum mille annis non fecerim.

Quotus etiam quisq̄ ex iis ducibus, qui nunc arma tractant, tan-
tam alit multitudinem, ut non intelligat, longe maiorem esse familiam,
quam pascit Aristoteles, Galenus, Bartolus, Baldus &c.

Vnde Ptolomeus Zoilo illi in convitiis obiecit: Homerum tot ante
annis vitâ functum, ævo perpetuo multa millia hominum pascere.

Quis igitur hic non exclamet: vivant litterati, floreant studia:
ô tum præstantes, tum frugiferas etiam litteras?
Artibus ingenuis quaesita est gloria multis, inquit Ovidius.

Hinc est, quod gubernatores omnibus temporibus doctis viris im-
munitatem à publicis oneribus concesserunt: imò munificos sese erga
doctos gesserunt, ut conservationi doctrinae tam de Deo, quam aliarum
artium, vacare possent.

In quorum numero habemus Illustrissimos Principes ac Duces
Brunsvicensis & Lunaburgenses, Academiae Iuliae fundatorem, conser-
vatores & nutritios, qui doctissimis viris quasi stipati semper incesse-
runt: quorum operis studioforum corona, etiam Nobilissima, utitur, &
adhuc fruitur, quippe de consilio parentum litterarium studium eque-
stri preferens. Nec dubium, quin olim sua familie, aule, toti patrie
ornamento futura sit, non minus ac parentes litterati, vel litterato-
rum mecænates verè nobiles! Etenim, ut ille ait, Nobilis est ille, non
quem sua villa, sed quem sua virtus nobilitat.

Eadem fortuna videndi & audiendi viros in Academia Iulia do-
ctissimos, me, mei q̄, similes hæctenus quidem excepit & fovit: at du-
rum tempus, (in quod proh dolor! incidimus, quodq̄ omnipotens &
clementissimus Deus mitiget, tandemq̄ avertat) ita nostrum quos-
dam oppressit, ut patrios Lares repetere & implorare coacti simus.

Ante meum verò discessum orationem quandam publicè habere
(statutum academicorum quippe observantissimum) constitueram, &
quidem de Henocho Patriarcha Septimo, quoniam eius historiae medi-

satio suppeditare mihi videbatur argumenta litterarium & Academicum ordinem mirificè commendantia, nec non de aliis hodiè scitu maxime necessariis commonescientia, utens consilio præceptorum, descriptam exhibui Dominis Decanis, duarum facultatum Philosophicæ videlicet & Theologicæ: qui cum Dominis suis collegis consilium approbarunt.

Eiusmodi verò dictam orationem in magna clarissimorum & doctissimorum hominum frequentia (citra omnem *Φιλανθρωπία*) pronunciatam & habitam, vobis Viri Generosi, Magnifici, Prælustres, Strenui, Clarissimi, Reverendi, Consultissimi, & Experimentissimi, inscribo, nuncupo, & dedico, partim honoris, & amoris, partim gratitudinis ergò, meq; vestro verè nobili & litterato favori, nec non promotioni validissima commendo, quo vel Patriam Academiam denuò discendi gratia invisere, vel ad alias vicinas quasdam me conferre possim. Quod grata mente coram Deo & omnibus bonis deprecabo, semper & ubiq; studia & officia mea (qualiacunq; sunt) humiliter & reverenter deferens.

Scribebam Cellerfeldæ 19. Octobris
CIC IO CXXI.

Vestram

Generositatem, Magnificentiam, Excellentiam, Reverentiam, amplitudinem, & integritatem humilimè colens

*Benedictus Andreas Cuppius
Cellerfeldensis.*

PRORECTOR ACADEMIÆ JULIÆ
JOANNES VVOLFIIUS, PHILOSOPHIÆ

& Medicina Doctor, Bonarum disciplinarum Studiosis

S. P. D.

Quod in omnibus actionibus contingit, ut sæpè agendo rectè tandem agere discamus. id non minus usu venire solet in stili exercitatione. qua diligenter continuatà, illud insuper beneficij consequimur. ut non tantum bene atq; eleganter scribamus, sed quoq; copiosè dicamus, quod innuere voluit Flaccus, quando sæpè stilum vertere jubet.

Ut enim à parvis incultisq; initiis ad rerum incrementa progredimur, ita nemo existimet, se commendatione dignum aliquid præstiturum, qui periculo quidem rei agendæ factò, se tamen minus in ea assiduum & laboriosum præbuerit, vel laboris tædio despondens animum, vel operis, quòd sub manu nasci nolit, rudioris odio, vel consequendæ artis desperatione. Cujus generis homines illud cogitare debebant, quod vulgò dicitur: *Labor improbus omnia vincit.* Itemque illud: *Qui nunquam male nunquam bene.* Nihil enim prima vice re-
p-ntè consummatum prodiit; & rectè συγγνώμη πρῶταίερα, id est, primum experienti indulgetur.

Neq; persuadeat quisquam sibi, rem agi levem, & minus dignam, in qua aliquid operæ ponatur, si quis eleganter & cum orationis venustate, & sermonis copia scribere studeat, cum nihil majore negotio discatur, nec usquã peccetur vel turpius vel frequentius. Quapropter maxime esset optandum, ut juvenus studiorum cultrix in hoc unice vel defudaret, quo proprij sermonis elegantiam prius atque ubertatem sibi compararet, quàm ad alias disciplinas transiliret, aut ad hanc officij sui partem, ut ita perveniret, ne illam negligeret.

Præterquam enim quod hæc opera pernecessaria est, valde quoque erit un cuique frugifera. Nam ab hac exercitatione domestica atque umbratili d&onem in medium agmen, in scholas, in templa, atque aciem forenses educimus.

Cum igitur nemo illam facultatem, citra multam & accurratam bonorum auctorum lectionem citraq; multum scribendi dicendique usum sibi polliceri audeat, omnes juvenes industrios, & meliore mente præditos

præditos, ad vigilans studium, & exercitationis assiduitatem sedulo hortamur, quod etiam fieri præcipiunt nostra statuta.

Valde itaq; probamus conatum & diligentiam Juvenis Doctissimi **BENEDICTI ANDREAE CUPPII CELLERFELDEN-**
SIS qui non tantum studuit, ut stili exercitatione se ipsum meliorem faceret, paratioremq; dicendi bene facultatem sibi conciliaret, sed in illa quoq; materia se exerceret, quæ ad pietatem, & rerum augustarum cognitionem, unde efflorescere & redundare orationem oportet, apprime faceret.

Hic bono vos præbit exemplo, & hodierno die hora III. Orationem habebit publicam **DE HENOCHO PATRIARCHA SEPTIMO**, in novo auditorio, ad quam non solum audiendam vos hoc programme invitamus, sed etiam ad simile quid efficiendam hortamur. **Valete. P.P. In Academia JULIA A. D. XXIII VIIBRIS**

ANNO clō l̄ CXXI,

ORATIO DE HE-
NOCHO PATRIARCHA

Septimo, publicè recitata in Illustri
Acad: JULIA.

Magnifice Domine Prorektor,

REVERENDI, CLARISSIMI,
EXCELLENTISSIMI VIRI, PATRES
*Academici, Promotores & Praeceptores debitâ
observantiâ colendi.*

Tuq; Nobilissima, florentissimaq; studio-
forum corona.

Quanquam hodiè vulgare est, quod dici-
tur in comœdia:

O quam diis ille fruïtur felicioribus,
Injuriam qui facit, & conturbat homines,
Quàm qui patitur & rectis ingreditur viis.

*(Unde exempla pro dolor! non desunt, quod et-
iam bonorum quidam à tramite recti deflectentes,
musas & studia sua deserant, atq; avaritiæ inbian-
tibus sese accommodent)* Nihilominus tamen

B

(Deo

(Deo gratia) cœtus manet docentium & discen-
tium literas, linguas & artes, Deo gratas, & eccle-
siae, ac Reipublicæ necessarias, omnesq; conatus &
actiones iuxta normam & amussim verbi divini &
sapientum monita instituentium.

Quare cum in hac illustri Julij Julia mecum
omnes faciant, qui veræ sapientiæ penitus dediti
sunt: non dubito, quin de illis, quæ ordinem no-
strum litterarium & academicum delectare, &
commendare solent, præmissâ, ponderatâ & appli-
catâ septimi Patriarchæ Henochi historia admiran-
dâ, aliquid σὺν θεῶ in medium proferre volentem,
me (licet adhuc multarum rerum imperitum) beni-
gne & humaniter (quod maximopere oro) sint au-
dituri, de pluribus & gravissimis rationibus insti-
tuti mei, sub finem orationis addendis, minimè du-
bitantes.

Cap. 44.

Ecclesiasticus inquit: Laudemus viros glo-
riosos: inter hos verò facile principem locum He-
nocho tribuit, qui natus est in mundum anno sex-
centesimo vigesimo secundo, patre Jared, cum ad-
huc in vivis essent magna illa lumina, Adam, Seth,
Enos, Cainan, & Mabaleel.

Bux. orf.
p. 271.

Nomen ipsi datum Henoch, (quod ebraicè חֵנוֹךְ
sonat) idem est, ac si dicerem, consecratus, initia-
tus, vel dedicatus Deo; à verbo חָקַד dedicavit,
confe-

consecravit, obtulit. Ex cuius nominis impositione singularis letitia patris Jared, nato filio, apparet.

Etenim, centum & sexaginta duos annos Jared vixit, priusquam filium hunc genuit. Cum vero Deus cum filio hoc donasset, singulari perfusus gaudio, dixit הווי Deo sint grates, & tu vocaberis הווי, eris, & Deo dedicatus manebis: vel, theologus futurus es.

Nullum autem dubium est, quin ejusmodi nomen instinctu Spiritus sancti ipsi à Parente inditum fuerit, ut in eo prima ocularis demonstratio æternæ futuræ vitæ ostenderetur.

Educatum fuisse Henochum in pietate, & omni virtutum genere, comprobantibus omnibus circumstantiis, certò statuimus.

Sed quid de sexagesimo ætatis ejus anno dicam? illum cum ageret, consentientibus suis parentibus, sacrum conjugiale fœdus iniit, in quo Deus ipsi benedixit, ut sexagesimo quinto filium Methusalab gigneret.

Quo nato, Henochus noster magnus, præcipuus, & eximius ecclesiæ primariæ doctor fieri cepit, cui continuè in verâ pietate (quamvis maritus esset & maneret, quod gravissimum argumentum contra pontificios est) per trecentos annos docendo, arguen-

do, & monendo præfuit, quemadmodum Moses diligenter hoc annotat, dicens: Postquam genuit Methusalah, ambulavit (Henoch) cum Deo trecentis annis: hoc est, fuit vir valdè pius, justus, & præco excellentissimus.

Forsterus
p. 262.

2. Pet. 1.

Sic enim annotavit Dn. Forsterus, asserens quod sit formula loquendi in sacra lingua, qua officium Propheticum vel Ecclesiasticum describitur, ita ut sensus hic sit: Henoch fiebat doctor ecclesie, & publicum officium sustinebat, sicut magnus & irreprehensibilis Propheta, & lux ecclesie suo tempore: quem secutus Noah, qui solus & suo tempore inventus coram Deo ambulans. Quo nomine à Petro Apostolo, præco justiciæ appellatus est.

Luth.
Tom. 6.
VVitab.
p. 83.

Rectè igitur inquit Lutherus: ambulare cum Deo, est, non in desertum fugere, aut latere in angulo, sed prodire secundum vocationem, & se opponere iniquitati, & malitia satanae & mundi, ac confiteri semen mulieris, damnare mundi religionem & studia, predicare per Christum aliam post hanc vitam.

Unde colligimus, fuisse in Henocho singularem plerophoriam, Spiritus Sancti, & animi magnitudinem præstantem, quod summâ fiducia præ aliis Patriarchis Satanae & Cainitarum ecclesie se opposuit.

iam

*Jam non solum meo, sed absq̄ dubio aliorum
quoq̄, judicio optandum esset, ut omnes, vel quadam
tantum Henochi conciones descriptæ, atq̄ ad nos
transmissæ essent. Sine omni enim dubio ejusmodi
fuerunt, ut meritò eas omnes p̄j veneratione sum-
ma cognoscant.*

*Nam Apostolus Judas in sua epistola eum hisce
verbis celebrat: Prophetavit (inquit) septimus ab
Adam, Henoch, dicens: ecce venit dominus in
sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes
& arguere omnes impios, de omnibus operibus
impietatis eorum quibus impia egerunt, & de o-
mnibus duris, quæ loquuti sunt contra Deum pec-
catores impij.*

*Suppeditat hic Apostolus argumentum, vel sy-
nopsin concionum ab Henocho habitarum: quod
nimirum impœnitentibus legem acuerit, & quia
in promissum semen mulieris, ut unicum mediato-
rem & salvatorem mundi non crederent, judicium
& supplicium de illis non tantum aquis diluvij, sed
etiam igni eterno sumendum, annunciarit.*

*Siquidem novissimum diem, diem majestatis,
& judicij nunquam retractandi, asserendo asse-
ruit.*

*Unde verò hæc Apostolus habuerit, ignoratur,
(inquit Lutherus) sed verisimile est mansisse*

in hominum memoria, ceu per traditionem Patriar-
charum, ut alia itidem sanctè tum dicta, tum fa-
cta.

Hoc igitur ministerium in publico Moses cele-
brat, & pium Henochum, tanquam solem aliquem
præ omnibus mundi prioris doctoribus seu Patriar-
chis, imò tanquam summum Prophetam & Ponti-
ficem, qui à sex Patriarchis, doctoribus excellentis-
simis institutus & eruditus, ac à Spiritu Sancto sic
ornatus, ut esset Prophetæ Prophetarum, & Sanctus
Sanctorum in isto priori mundo, extollit.

Cum igitur pius hic vir post natum Methusa-
lah annis trecentis summa religione, fide, patientiâ,
& mille crucibus, (quas tamen fide in futurum se-
men mulieris vicit,) vixisset, non apparuit am-
plius.

Quo igitur se contulit? Non sanè in monaste-
rium cum Pontificijs, non in desertum cum Eremitis:
sed tulit eum Deus inquit Moses, vel, transla-
tus est vivens in cælum, anno quinquagesimo septi-
mo post mortem Adæ, cum ceteri patres omnes ad-
huc superstites, & procul dubio etiam translationis
2. Reg. 2. Henochi spectatores fuerunt, sicut Eliseus specta-
tor Prophetæ Elie fuit, quando curru ignito in cœ-
lum raptus, pallium & spiritum suum reliquit Eli-
seo. Verisimile enim est, Henochum disparuisse, &
in cœ-

*in cœlum sublatum esse, quando in publico congressu
oravit, sacrificia obtulit, & concionatus est.*

*Sed quis Poëtarum, quis Rhetorum textum Mo-
sis hunc (Henoch non apparuit amplius, quia tu-
lit eum Deus) pro dignitate, & cum affectu satis
tractare poterit? Siquidem Moises discessum ejus ex
hac vita longè aliis verbis, quam aliorum Patriar-
charum describit, ubi dicit, Vixit Adam, & mor-
tuus est, vixerunt Seth, Jared, nec non reliqui, &
mortui sunt, juxta sententiam: terra es, & in ter- Gen. 3.
ram reverteris.*

*De Henocho verò sic ait: tulit eum Deus. Hic
stylum suum mutat, significans, alios mortuos ter-
ra demandatos: Henochum verò viventem in al-
tum sublatum, & in cœlum raptum fuisse. Unde
rectè Ecclesiasticus dicit: nemo natus est in terra Cap. 44.
qualis Henoch: nam & ipse receptus est à terra.*

*Num quid igitur melior fuit patribus suis, quod
anima & corpore vivus in cœlum assumptus est?
Nihil quidem patribus derogamus: nihil huic con-
tra scripturam, & præter textum Moisis adscribi-
mus: sed statuimus, quod singulari gratiæ Dei, &
eximie fidei Henochi imputandum, quod Henochus
vivens in cœlum translatus sit, ne videret mor-
tem: priusquam enim transferretur, testimonium
meruerat quod placuisset Deo. Atqui sine fide fie-
rinon*

Cap. 11.

nō non potest, ut quis illi placeat; nam qui accedit ad Deum, hunc credere oportet, esse Deum, & esse remuneratorem quærentibus se, extat scriptum in Epistola ad Ebreos.

Rom. 11.

Quia igitur Deo sic placuit, nec aliorum Patriarcharum saluti obfuit, ejusmodi prerogativam Henochō concedere, merito recordamur, quod Deus noster sit liberrimum gens, cum Apostolo dicentes: ô profunditatem divitiarum, Sapientia, & scientia Dei, quàm incomprehensibilia sunt opera & judicia ejus, & ininvestigabiles viæ ejus

Esaiæ 64.
1. Cor. 2.

Quis mortalium poterit effari, quando cum júbilo à sanctis, & immortalibus Angelis fuerit exceptus Henoch? quis commemorando commemorabit nova gaudia, novam gloriam Henochi in cælesti Paradiso? ubi clarificatis oculis, & auribus, vidit, & audivit venerabile, & adorandum Sacro Sanctæ Trinitatis mysterium, sicut scriptum est, Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt eum.

Carolus M.
in Epitaph
Rolandi.

Et quamvis dicti spectatores hujus gloriosi Henochi raptus dicere potuissent.

Tu patriam repetis, nos tristi in orbe relinquis,
Te tenet aula nitens, nos lachrymosa dies.

Attamen credibile esse arbitror, quod quia de altera cæ-

ter a cœlesti vita rectè fuerunt instituti, & procul
dubio futura translatio Henochi per hunc ipsum,
singulari spiritus sancti instinctu, vel per Angelum
quendam antè revelata, & significata, (licet certū
tempus non definitum) eos non sine magna cordis le-
titia solennem ascensionis actum, tanti Prophete,
præconis, fratris, filij, & patris, aspexerint, nec ob-
stat, quod (siquidem humana imbecillitate & affe-
ctibus non destituti fuerint) antè doluerint.

Verum divine voluntati, consilio, & decreto ce-
dentes, postquam ille valedixisset, nunquam non ra-
ptum Henochi in oculis, imò in mente habuerunt, &
retinuerunt, maximè propter causas hujus raptus
præcipuas.

Quarum prima est: ut esset testimonium mani-
festum, quod alia vita, & quidem cœlestis, & æter-
na post hanc temporalem & caducam sequutura sit,
quam Deus credentibus in semen mulieris, & mun-
di salvatorem præparavit. Etenim Deus hominem
non ad mortem, sed ad vitam & regnum æternum
creavit, in quod omnes & singuli, non minus atq;
Henoch assumpti fuissent, si primi nostri parentes in ^{Sap. 11.}
innocentia originali mansissent, & non peccassent.

Unde Apostolus rectè dicit: Stipendium pec- ^{Rom. 6.}
cati mors est: gratia autem Dei vita æterna in Chri-
sto Iesu domino nostro.

C

Secun-

Actor. 23. *Secunda, ut perpetuò constaret discrimen inter credentes, ceu vera membra Ecclesie Patriarcharum: & inter incredulos, utpote ecclesiam Cainitarum, qui vitam aeternam, ut Epicuræi & Sadducei negarunt, hoc nitentes fundamento, quia Habel occisus est, & Adam mortuus fuit.*

Cap. 44. *Contra hos Henoch gladio spiritus non tantum masculè fuit usus, sed Deus ipse sic disposuit, ut Henoch neq. moriatur, neq. sepeliatur, sed corpore vivo in alteram cœlestem vitam visibiliter ascendat: quò impij Cainitæ ad pœnitentiã commoverentur. Unde iterum Ecclesiasticus ait: Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, ut gentibus det sapientiam.*

Græcè ὁδὸς ἡγεμῶνα, hoc est: speculum vivum, in quo quilibet videat, quomodo probitatem & pietatem Deus recompenset. Quapropter novus & insolitus Henochi ascensus, manifestum miraculum, vel sacramentum est, quo Deus doctrinam Henochi, ut cœlestem & salvificam veritatem confirmare, & adversus Cainitas potentissimè munire voluit.

1. Pet. 1. *Tertia: ut in credentibus & afflictis, ad futura, aeterna, & meliora suspirandi, desiderium excitaret. Quicumq. enim cum Henochò vivit, finem fidei suæ reportavit, salutem animæ suæ, & ab omni malo*

malo liberatus est. Non enim condignæ sunt passionibus hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ ^{Roms. 8.} revelabitur in nobis.

Quarta: ut visibilis gloriosæ ascensionis filij Dei incarnati, post peractum redemptionis humani generis opus, typus esset, qui tamen non uti Henoch & Elias, alienâ, sed propriâ ascendit virtute, qua effecit, ut omnes in ipsum credentes, quo ad animam, in hora mortis; deinde, in novissimo die, quo ad corpus vivificatum ascendant, & non tantum, ^{Luc. 16.} cum Henocho, & Elia, sed cum Domino ipso sint, sicut illi, qui tempore mortis, & resurrectionis salvatoris, è monumentis suis non tantum egressi, totis ^{1. Thess. 4.} quadraginta diebus cum Apostolis, & electis conversati sunt, sed etiam cum triumphatore gloriosè ascenderunt, quos, orthodoxorum judicio primos parentes, & alios Patriarchas, fuisse, statuimus: ^{Matth. 27} omnes, inquam, qui antè & post diluvium in mundo vixerunt, & veræ Ecclesie præcipua mēbra fuerunt.

Rectè igitur inquit Lutherus: memorabilis itaque hæc est historia, per quam Deus voluit primo & priori mundo commendare spem melioris vite, post hanc vitam. Postea in secundo mundo, quia habuit legem, dedit Deus exemplum Elie, qui etiam inspectante servo Heliseo à Domino raptus est. Nos in novo testamento sumus, tanquam in tertio mundo,

mundo, habemus autem illustrius exemplum ipsum Christum, liberatorem nostrum, ascendentem ad coelos, cum alijs multis sanctis. Voluit enim Deus omnibus seculis extare testimonia resurrectionis mortuorum, ut ab hac vita misera, ac multis modis calamitosa, abduceret animos nostros, in qua tamen Deo, quam diu ipsi visum est, servimus, obeundis politicis, & civilibus officijs, ac imprimis instituendis alijs ad pietatem & noticiam Dei.

Ebr. 13.

Ioh. 14.

Sed hic manentem locum non habemus; abiit enim Christus ad patrem, ut nobis pararet mansiones æternas.

Sicut autem apud nos invenias, quibus hæc ridicula, & non satis digna fide judicentur; ita non dubium est, tum quoque a majori parte pro ridiculo hanc historiam esse habitam. Mundus enim semper sui similis est. Sunt itaque hæc divina autoritate commendata literis, & scripta sanctis ac fidelibus, ut ea legerent, intelligerent, crederent, & sequerentur.

Ostendunt enim manifestam victoriam mortis & peccati, ostendunt certam consolationem victæ legis, iræ & judicij divini de Henoch.

Quare pijs his Patriarcharum historiis nihil jucundius, aut gratius esse potuit.

Sed in novo testamento verè exundat misericordia

dia Dei, et si enim hujusmodi historias non abijci-
mus, tamen longè majores, nempe ipsum filium Dei,
adscendentem ad cœlos, & sedentem ad dextram
Dei patris, habemus. In eo videmus, caput serpen-
tis planè contritum esse, & vitam iterum restitu-
tam, quam in Paradiso amisimus.

Hoc longè plus est, quam quod Henoch, & E-
lias translati sunt, & tamen Deus hoc modo prio-
rem mundum, & sequentem, qui legem habuit, con-
solari voluit. Hactenus Theander-Lutherus.

Atq; tantùm de historia Henochi, ex Mose, &
aliis probatis scriptoribus, hoc loco dixisse suffi-
ciat.

Sed querat forsàn aliquis: quanam ex ejus rela-
tione ad nos promanare, & redundare utilitas pos-
sit: ea sanè tanta est, ut temporis quod restat spatio
vix paucis significare, ne dicam, multis commemo-
rare quispiam queat.

Ego verò pro ingenij mei modulo ad præfixum
scopum collimare studens, video & affirmare, (sal-
vo tamen doctiorum judicio) non dubito, quod vo-
tis piorum parentum annuat Deus opt: max: quan-
do natis suis nomina imponant, vel ipsis bene pre-
cantur, imò exultant in futuris quasi jam presenti-
bus, maxime cum officio suo non desunt, ut ab ipsis,
vel etiam præceptoribus, quorum fidei tuto com-

mitti possunt, instituantur, nec non nati per Spiritus sancti gratiam disciplina non refragantur, & doctrinam avidè amplectantur. Ita sanè viventibus adhuc parentibus eorum expectationi saepenumero respondent filij, ut aut cum parentibus ipsis, nec non praeceptoribus, vel aliis contemporaneis patri officio fungantur: Imò majoribus donis ornati, & praeceptoribus, & parentibus praeficiantur. Et qui eruditus pius hoc non contingeret? Quandoquidem compertum habemus, quod saepe humili loco nati, ad magnos honores aspirarint, juxta illud, *psalm. 113.* scitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.

Aurelius Victor de viris Illust. p. 339. De Severo Imperatore historici referunt, quod primùm scriba fuerit, & homo doctus, linguarum peritus, latinis literis sufficienter instructus, Graecis sermonibus eruditus, ac optimus Mathematicus; & ita per excellentem doctrinam, & rei militaris scientiam, ad summos honores, id est imperium Romanum regendum pervenerit.

Prov. 11. Et Salomon inquit: Semen justorum salvabitur, & desiderium justorum omne bonum est: praestolatio autem impiòrum furor.

Quocirca Deo auctori omnis boni, nec non parentibus, & praeceptoribus acceptum referant quicquid

quid ingenio, arte, & id genus singularibus alijs bene educati valent & pollent, sibiq; ex animo gratulentur, si quando per bene multos annos cum parentibus, & praeceptoribus vivere & conversari liceat.

Dicitur hodie ars longa vita brevis. Quare experientia testis est, quod raro discipuli cum praeceptoribus pari officio praeficiantur, & mutuas, easq; indivisas operas praestent.

Ex nostra igitur re fuerit, qui Musis nomina dedimus, ut exoptatos nostros praeceptores sedulo audiamus, & indefesso calamo illorum dictata non tantum excipiamus, sed quae obiter & in privatis colloquiis audimus, diligenter etiam observemus. Futurum enim tempus est, quo omnia ad usum transferre, vel saltem ipsorum consuetudinis, & familiaritatis jucunda recordatione delectari poterimus.

Vox audita perit; littera scripta manet

Nos sane feliciores Patriarcharum contemporaneis, nos praedicemus. Quamquam enim illi multis annis pariter vixerunt, attamen per traditionem saltem doctrinam caelestem, vel etiam Astronomiam, & alias scientias, ad posteros transmiserunt. Nos autem praeceptorum nostrorum scriptos libros, una cum biblijs, & philosophorum excellentium monumentis habemus.

Moses primus est, qui jubente Deo, historiam

CREA-

creationis, & Patriarcharum, adeoque Pentateu-
Exod. 25. chon suum literis contra diaboli astutiam, decre-
scientibus hominum aetatibus, mandavit, ut omni
tempore verbum, per sanctos Dei homines scriptum,
2. Petri 1.
Esaie 8. regula & amussis verbi predicati esset.

Iosephus
lib. 1. c. 3. Quod Iosephus Historicus de duabus statuis
vel columnis, in quibus Patriarchae, quae de astrono-
mia cognita habuerunt, & id genus alia descripse-
rant, ne vel aqua vel igni tollerentur, sed ad poste-
ros propagerentur, memoria proderet voluit: id sane
non contemnimus, praesertim cum addat, unam
illarum latentiam videlicet, adhuc in Syria ere-
ctam stetisse, eo tempore quo suam historiam scri-
beret.

Sed (auditores) quid nuda haec commemoratio
nobis prodesse potest! utinam, illa in libris sicut a-
liorum Philosophorum qui apud nos in magno pre-
cio sunt, & habentur, consignata haberemus.

Dicat mihi aliquis: utrum majus commodum
ex Ethnicorum scriptis, an verò doctissimorum,
praeceptorum nostrorum interpretationibus, vel
commentarijs percipiamus?

Equidem posterius affirmare possum; licet vul-
gò dicatur: Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquae.
Nisi enim praeceptorum beneficio, ianua nobis ape-
riatur, intellectus monstretur, praxis suppeditetur,
parum

parum, vel nihil emolumentum ex propria, cum primis Aristotelicorum librorum lectione capere poterimus; Imò tempus quod eiusmodi lectioni tribuitur, sumptus qui impenduntur, meo iudicio pereunt.

Idem mecum procul dubio, qui ad studium juris vel medicinae se applicarunt, ingnuè fatebuntur. Propter hunc enim finem, ut doctissimos præceptores audirent, & de ipsorum ore penderent, ad hanc nostram Academiam sese contulerunt.

Quid de Sacro Sanctæ Theologiae studiosis dicam? hi sanè & omnes singuli cum præfectorum reginae Athiopum Philippo respondebunt: qui possumus quæ legimus, intelligere, nisi aliquis dux viæ nobis fuerit? Act. 8.

Saulus in patria sua Tarso Cilicia, linguas quidem didicerat, & quorundam poetarum scripta legerat, sed à parentibus Hierosolymam ad Academiam Judæorum celeberrimam missus fuit, ut ad pedes clarissimi Gamalielis, viri exquisiti iudicij, Act. 22.
(quemadmodum ex sententia illa in concilio dicta patet: Si ex hominibus consilium, aut opus hoc Act. 5.
dissolvetur: Sin ex Deo est, non potestis dissolvere) in veritate paternæ legis erudiretur, cuius æmulator indefessus, donec à domino Jesu, ipso summo Sacerdote, conversus, & in tertio cælo, quò raptus, institutus fuit, Act. 9.
1. Cor. 11.
& 15.

D

Sunt

Ambr. d. a. s.

Andaces.

Illustres.

Inepti.

Sunt quidem autodidactoi, qui in umbra & privatos inter parietes doctores enati, suis nimium ingenijs freti, ab alijs edoceri atq; institui, turpè sibi ducunt, dumq; novâ & à se ipsis excogitatâ viâ, ad eruditionis culmen atq; fastigium properant, non tantum sine frustrantur, sed in labyrinthos periculosos precipitant, ut ne inter seipsos conveniat, nec veritatem in artibus atq; scientiis ab alijs demonstratam videant: sed vasto veluti in mari dubij, variis ac lubricis opinionibus circumdati, hæreant, nec reperiant, ubi pedem firmiter figant: tandemq; summo cum suo, tum aliorum malo verum esse experiantur id, quod veteres dixerunt: Sibi ipsi quemque magistrum pessimum esse. Imò quàm hi esse perniciosi generi humano soleant: quot sint rixarum, ac contentionum autores: quàm monstrosas & absurdas opiniones non modo foveant ac defendant: verum etiam ipsi gignant ac procreent quoties aut ingenii laudem veritati antepont, aut imperitiâ quadam clave, quod aiunt, ligna findant, securi feram aperiant, qui domi latitare, quàm docentes audire, vel etiam consulere malunt, experientia testatur. Sed hos iam mitto, & iudicium de illis peritioribus relinquo.

Nos gratamente meritò agnoscimus, quod in hoc ducatu Brunsvicensi patriam Academiam florentissi-

rentissimam habeamus. Conseruet illam Deus opt:
Max: cum nutritio celsissimo & munificentissimo,
consiliariis optimis, & praeceptoribus honoratissi-
mis, ut eorum studiis & operis utamur, fruamur,
maximè ut revelati euangelij lux in hisce oris, quod
(proh dolor!) in aliis regionibus amissis, vel obscu-
ratis literis accidit, nunquam extinguatur.

Quapropter diuinitus Scholas ecclesiis sem-
per adjunctas fuisse passim legimus. Ex multis tan-
tùm Joannis Manli verba profero.

Nunquam (ait) vera ecclesia sine scholis aliqui-
bus fuit, ac ne potest quidem diu conseruari doctri-
na, nisi scholastici coetus adjungantur ad ecclesias.
Haud dubiè primis patribus Adæ, Noe, Sem, ideo
prorogata est vita tot seculis, ut auditores haberent
testes, ἀξιόπιστος de prima origine generis huma-
ni, deq; initio doctrinae. Postea familie Abraham,
Isaac, & Jacob prorsus scholæ fuerunt. Deinde,
cum Lex Moisi data est, jam clarum mandatum de
scholis additum est.

Constitutum est enim, ut ad tabernaculum semper
coetus docentium & discipulorum essent, Nam in po-
lita Moisi, ad tabernaculum classes Sacerdotum &
Leuitarum constitutæ fuerunt, non solum ut ibi
mactarent pecudes, sed multo magis, ut legem popu-
lo enarrarent, responderent ambigentibus animis,

Et dijudicarent dogmatum controversias, ut clarè
testatur caput 14. Deuteronomij; ubi jubet deferri
controversias ad sacerdotes Leviticos, Et ad locum
tabernaculi, Et judicari res non ex arbitriis poten-
tum, sed ex lege divina. Illud collegium vel aca-
demia optimè constituta, usq; ad Christum, circiter
mille quingentos annos, doctrina divina interpre-
s Et custos fuit. Illi collegio traditus est in discipli-
nam Samuel, perinde ac si in academiam benè con-
stitutam missus fuisset.

Postea cum Sacerdotes studia negligenter, Deus
Prophetas excitavit, qui magnas catervas discen-
tium secum traxerunt. Tantum enim agmen au-
ditorum Elisei erat, ut cum antea in Hsericho ha-
bitassent, postea propter ejus loci angustiam, ad For-
danem aliam sedem quaerent. Post Samuelem flo-
ruit Nathan; deinde Achias Silonites sub Salomo-
ne Et Jeroboam: hunc secutus est Ananias Assæ
tempore. Deinde excitatus est Elias, qui cum di-
res maximas gessisset, Et docuisset circiter annos
triginta, antequam à Deo in caelum evectus est,
successorem Eliseum elegit, qui annos septuaginta
gubernavit ecclesiam Israel. Vidit hunc adolescens
Esaias. Eliso vero successit Jonas, quem arbi-
trantur fuisse filium mulieris Sareptana, ab Elia re-
vocatum ex morte. Caterum abductis decem tri-
bubus,

bubus, successit Esaias in Juda, qui docuit annos
octoginta, & liberavit regnum ingentibus bellis.

Nam quilibet Propheta habet aliquod insigne
πολίτευμα. Post Esaiam excitatus est Hierimias,
qui annos quadraginta concionatus est.

Post Hieremiam Daniel, qui etsi instituitur doctrina
Chaldaorum, tamen hunc vicissim postea reges
omnium maximi, tanquam discipuli audiunt, Nabuchodonosor,
Evilmerodach, Darius Medus, & Cyrus. Danielem secutus est
Zacharias: ipsum vero Esdras, & Nebemias, qui propè attigerunt
Alexandri Macedonis aetatem. Nebemiam Onias secutus est,
celebratus in Ecclesiaste.

Postea Simeon Onie filius doctrina puritatem
conseruavit. Aliquanto post, secuta sunt Machabeorum
bella, quo tempore sacerdotes diu jam Ethnicorum
more certa verunt ambitione de principatu, & doctrinam
ac disciplinam flagitiosè neglexerunt. Accidit enim eo
tempore, quod omnibus temporibus fit, ut si quis unico
verbo alicujus in officio versantis offenderit, certè non Deum
conditorem illius hominis, sed diabolos ipsos lesissimas
dicas, qui nunquam audiverunt, aut docuerunt illam
doctrinam in dominica oratione à Deo prescriptam,
remittite, & remittetur vobis. Sed exortus est tandem
Matthias Sacerdos legis divinae asser-

Matth. 6. 6.

v. 12.

Luc. 6. 11.

v. 40.

tor. Ita Machabæi restituerunt doctrinam. Post
bos crevit impudentia in populo Dei: & repudiatis
Prophetarum monumentis, ceperunt ingenia pro-
phana amare Græcam Philosophiam. Hinc exti-
terunt Sæcæ diverse: Phariseorum, & Sadducæo-
rum, qui palam epicureas opiniones professi sunt.
Itaq; cum diu horribiles essent tenebræ in populo
Dei, Deus rursus excitavit scholas per Simeonem,
& Zachariam, quorum mentio fit in Luca. Deinde
per Joannem Baptistam, postquam docere cepit
Christus, qui scholam Apostolorum habuit assiduâ.
Et Hebræi adfirmant Moisis institutum (qui septua-
ginta seniores elegit, ut scribitur capite undecimo,
Numerorum) mansisse in omnem posteritatem,
idq; postea fuisse collegium doctissimorum hominum
quod Judei Sanhedrin nominarunt, pro qua voce
Græci συνέδριον usi sunt. Sed qualiscunq; ille se-
natus fuit, Prophetas constat habuisse assidua audi-
torum agmina. Hunc morem quem viderant Apo-
stoli servatum à Prophetis, Baptista, & Christo, re-
tinuerunt & ipsi.

Nam hos quoq; suas scholas habuisse, apparet
ex Irenæo, dicente, Joannem Apostolum Ephesi
habuisse assiduos multos auditores, & in his Poly-
carpum, qui postea in ecclesia Smyrnense circiter
quin-

quingenta annos doctrinam à Ioanne traditam
feliciter propagavit.

Hujus auditor Ireneus doctrinæ rivus in Gal-
liam & Pannoniam duxit. Ac fuisse tales scholas
apparet, ubicunq; frequentiores ecclesiæ fuerunt.
Celebratissimæ fuerunt, Antiochena, Alexandrina,
Cæsariensis, in qua Origenes docuit; Byzantina,
in qua Basilium didicisse Nazianzenus scribit. Nec
aliud fuisse initio collegia canonicorum, certum est
quàm docentium & discentium coetus. Et in ipsa
Germania ante Attilam fuerunt adiunctæ scholæ
mediocres ecclesiis. Nam Ireneus & Epiphanius
citant testimonia Germanicarum ecclesiarum.
Qua ex re apparet, citò propagatum fuisse Evan-
gelium in Germaniam, & aliqua literarum studia
in hac natione fuisse. Legimus etiam Lucium Cy-
renæum Pauli discipulum, primùm docuisse Evan-
gelium ad Danubium in Augusta Tiberina, que
nunc est Ratisbona; eaq; in loca venisse eum cum
Romanis exercitibus, qui tenebant Rhetias verisi-
mile est. Illuxit Evangelium Argentorati populo,
& Agrippinæ Colonix Doctore Materno, Petri dis-
cipulo. Trophimum Arelati fuisse, Eusebius te-
statur. Clemens Metenses ad Christi agnitionem
vocavit. Crescentem, ajunt, venisse Moguntiam?
Marcum Pauli discipulum (antiqua monumenta,
eccle-

ecclesie Passaviensis ad Danubium testantur) con-
cionatum esse, in urbe Iuliobona, qua sedes fuit E-
piscopi in Norico, ante collegium Passaviense.

Tot magni & sapientes viri, cum in Germaniam
& Galliam venissent, haud dubie precipuam studio-
rum curam habuerunt, ut ad posteros per homines
recte institutos, & solide doctos evangelium propa-
garetur. Etsi autem postea, temporibus Barbaricis
cum Vandalicis Hunnicis & Francica bella ma-
gnas vastitates fecissent, ita ut vetera collegia e-
versa essent: tamen qualescunq; reliquia ecclesie
qua super erant, carere literis non potuerunt. Rur-
sus igitur collegia Canoniorum, & monasteria
condita sunt.

Et cum in collegijs canonicorum studia negli-
gerentur, quod essent occupati regum & aularum
negotijs, munus docendi in monasteria est transla-
tum.

Hac, cum onerarentur ceremoniis, non potue-
runt docendi laborem molestum & difficilem simul
sustinere. Exortae sunt simul academiae, in quibus
studia literarum utcunq; exercitata, sed disciplinae
vincula nimium laxata sunt. Haec tenus historica
commemoratio Ioannis Manli.

Inter has autem academias, (quas etiam vulgo
universitates appellamus, ab universa artium libe-
ralium

et alium ac facultatum omnium Professione, & tra-
ctatione, ceu sunt nobis notissima; Parisiensis, quæ
cepit Anno 791. Viniensis Austriae 1277. Heidelber- ^{Academie}
gensis 1346. Pragensis 1365. Colonienfis 1378. Er- ^{in Germa-}
pbordienfis 1392. Cracoviensis 1407. Rostochi- ^{nia earum}
fis 1419. Lovaniensis 1426. Gribsvaldensis 1460. ^{que fun-}
Friburgensis in Brisgouia 1410. Basiliensis 1460. ^{dationes.}
Tubingensis 1477. Moguntinensis 1482. VVite-
bergensis 1502. Francofurtana ad Viadrum 1506.
Marpurgensis 1526. Regiomontana 1544. Jenen-
fis 1548. Argentinensis, 1548. Altorfina 1578. no-
stra Helmstadiensis 1576. Gissenfis, 1609.)

Nostra hæc quoq; Helmstadiensis merito celebra-
tur, (tanquam Musarum in hoc ducatu sedes, domi-
ciliū, & fax sincera, & illibata religionis) quam
academiam pravis & impuris moribus, vel potius
se ipsos fœdare & conspurcare, non solent illi cives
academici, qui olim ecclesiæ, Reipublicæ, & patriæ
ornamento sunt futuri, sed parentum dictis sunt au-
dientes, & statutis academicis pro ut ore, manu, &
calamo polliciti sunt, nemine etiam existente moni-
tore, obedientes, quò tandem honestis testimoniis
vitæ, & eruditionis instructi & ornati, discedant,
& omnibus bonis commendentur.

Cum Deo enim juxta exemplum Henochi, am-
bulandum, vel inculpatè vivendum est, quemad-

E modum

Psal. 119.

modum David dicit: In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.

Cap. 1.

Ecclesiasticus inquit: Timor domini expellit peccatum, nam qui sine timore est, non poterit justificari, iracundia enim animositatis illius, subversio illius est: Item oculi domini multo plus lucidiores

Cap. 23.

sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.

Porro, auditores, in mentem Patriarcha noster donorum in docentibus diversitatem, nobis revocat. Magna sanè dona Jared, Mabaleel, Majora Enos, & Seth, habuerunt, Maxima verò Adam, qui omnium horum praeceptor primus, & summus fuit; sed hos omnes tamen doctrinà, virtute, gravitate, constantiâ, Henoch superavit. Sic subinde Deus non tantum doctores ecclesiae, & professores academiarum excitat, sed necessaria quoque dona illis largitur & confert, alijs minora, alijs majora dicente Apostolo:

1. Cor. 12:

Vnicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem: alij quidem per spiritum datur sermo sapientiae, alij sermo scientiae, alij fides, per eundem spiritum: alij verò dona sanationum; alij verò efficaciae potentiarum, alij verò Prophetica, alij discretionis spirituum, alij verò genera linguarum, sed omnia efficit,

efficit, unus & idem spiritus, dividens unicuique peculiariter pro ut vult.

Quod sanè in praeceptoribus nostris quotidie deprehendimus: & pro ejusmodi donis, illis omnibus & singulis concessis, Deo opt: max: merito & indesinenter gratias agimus. Admiramur in universum, quod satis praedicare non possumus.

Utinam verò nobis quoque, discentibus omnibus & singulis, sumptus non deessent, aut deficerent, Votum. quò in hac Illustri Julij Julia, etiam duris hisce temporibus (quae tamen omnipotens & misericors Deus clementer mitigare dignetur) commemorari possemus.

Quem enim nostrum non delectaret, viros tantos coram videre, audire, observare, & eorum consuetudine perfrui? Nihil do auribus. Veritatem dico. Sed voti nos compotes faciat, qui discipulis Elisei ad fuit, & Danieli, nec non socijs ejus benedixit.

Res ipsa loquitur, quod ex hac academia, non tantum in hunc ducatum, sed in omnes verè mundi plagas tanquam ex equo Trojano (ut Cicero loquitur) prodeant, quorum alij ad scholarum, alij ad ecclesiarum, alij ad Rerum publicarum gubernacula sedentes, divinis praeceptorum suorum donis adjuncti, divino nomini grata, hominibus utilia, sentiant dicant, faciant.

Retribuat Deus opt: max: Illustrissimis princi-
pibus, fundatori, & nutriciis hujus academix mu-
nificentissimis, omnia illa in hanc academiam pa-
de benefi- triam collata beneficia, & faciat, ut sub Illustrissi-
cys Ducū ma, & Celsissima ducum Brunsvicensium familia,
Brunsvi- deinceps quoq; eruditissimum seculum floreat & vi-
censium in geat. Stante enim nostra academia, doctorum, qui
Acad. In- doctrinâ, consilijs, ecclesiam, & Rempublicam ad-
uam. jurvent, non erit inopia.

Isocrates (inquit ille) non quidem magistratus
gessit, sed consilijs suis gubernavit, & ingenia mul-
torum, qui postea in Republica principes extiterunt,
formavit. Nec melius de Republica Æschines Cau-
sidicus meritus est, quam Aristoteles, qui, etsi nec
magistratus gessit, nec causas egit, tamen Alexan-
drum, & multos alios principes, ad justitiam
& beneficentiam finxit.

Fason juris consultus magnam Italie partem
gubernavit, nec tam n de Republicæ Bartolus bene
meritus est, qui in schola tantum vixit.

Philippus medicus, Alexandri exercitum secu-
tus est, ac regem ipsum ingenti periculo liberavit.
Neq; tamen minus de Republica Galenus meretur,
qui nullum exercitum secutus, sed in schola assedit,
& doctrinae suae monumenta scripsit.

Non igitur Ciceroni, Platonem reprehendenti,
assen-

assentimur, quod dixerit: Philosophos tametsi à
Reipublica administratione abstineant, tamen pro-
pter hanc ipsam magnarum rerum inquisitionem
iustos esse.

Rectissimè enim Plato sensit: siquidem iusticia
est, suum quenque officium facere, & fructum ejus
ad communem humani generis salutem conferre.

O quam beata igitur patres & cives academici
patria nostra est, cui neq; Theologi, neq; Jurisperi-
ti, neq; Medici, neq; Philosophi, & donis, & officiis
suis desunt.

Sed quis Poetarum, quis Rhetorum, clementiam
& beneficentiam patrum patrie erga doctos pro di-
gnitate satis predicare poterit? De illis enim quod
de Imperatore Leone primo qui dixit: Vtinam mea
ætatè fiat, ut stipendia militū in Philosophos con-
ferantur, legitur, dici potest. Item, de Sigismundo,
quod Poeta Georgius Sabinus scribit:

De Cesari-
bus Ger-
manicis
p. 227.

Ingenuas habuit summis in honoribus artes,
Atq; viris doctis munera multa dedit,
Cum quibus interdum convivia lætus agebat,
Ex humili quamvis ordine plebis erant,
Sicq; suos proceres hortari sæpè solebat,
Artibus ut vellent incubuisse bonis.
Fama per ingenuas & gloria quæritur artes,
His favor ac regum conciliatur amor.

E 3

Imò

Imò de Alexandro, quod cum milites (plerumq;
scribas & leges odio habentes) in unum ex præstan-
tissimis, & doctissimis consiliaris, Ulpianum videli-
cet impetum facerent, ipse pallium suum objecerit,
& ad Ulpianum tegendum & corpus & vitam op-
posuerit.

Audiamus quoq; brevibus historiam de Mauri-
tio, Duce Saxonie, bellatore fortissimo, qui & ipse
viros doctos valde amavit: cum ille aliquando in
bellum proficisceretur, & signa canerent, instaretq;
acerrimus conflictus, unum ex militibus, & quidem
nobilibus, qui prima ale præerat, ut bono animo
sint, & in hostem alacriter invadant, hortatur, re-
spondit nobilis ille, Clementissime princeps manda-
to tuo omni diligentia obediam; sed ubi tui docto-
res jam sunt? ad quod princeps responsum dedit:
bac die consiliarijs togatis non utor.

Quid de Cesare Augusto dicam? qui Virgilio
supplici, agros suos inter milites distributos, re-
liquis civibus neglectis reddidit.

Demig de Alexandro Magno quid commemora-
bo? qui dilecti sui Pindari mortui, penatibus &
bibliotheca milites hisce verbis parcere jussit: Pin-
dari Poeta rectum ne cremate. (Cum natura enim,
artibus & bibliothecis in bello non est pugnandum.)

Quod etiam rex Demetrius intellexit: Ille enim

CUM

cum Rhodū obsideret, murumq; in eo loco, ubi tabula
Protogenis magna arte picta erat, quassaturus esset:
Illo autem à Rhodijs rogato, ut monumento illi par-
ceret, milites, ita inquit, revocavit: se cum arti-
bus bellum non gerere: eaq; cum Rhodijs faciendæ
pacis initia fuerunt.

Sed ut eò unde digressus sum, revertar, pluri-
bus historiis omisiss, memoriæ traditum est, & nos
ipsi, patres, & cives academici compertum habe-
mus, quod non minus atq; alij magnates, nostri pa-
tres patriæ, academicis & doctis quos in honore ha-
buerunt, semper de utilibus & necessariis subinde
prospexerint, quod (me etiam tacente) à plurimis
bonis, & gratis, hinc & ubiq; decantatur.

Quis igitur ex minimis quoq; videre & judicare
non poterit, quod ea, quæ à nobis commemorata
sunt, ordinem nostrum litterarium & academicum
mirificè commendent?

Postremò historia Henochi de aliquibus Chri-
stianæ nostræ religionis articulis, qui in academiis
cum primis docendi, inculcandi, discendi, & reti-
nendi sunt, nos commonefacit: quod videlicet se-
men mulieris promissum, nunc exhibitum: item:
quod post hanc, alia p̄ys & credentibus vita, per
Christum, qui adscendit ad cœlos, sed inde reditu-
rus est judicare vivos & mortuos, cuius typus He-
noch;

nob, & postea Elias quoq, qui vivi in caelum ascen-
derunt, fuerunt, parata sit.

Non igitur in cruce, tentationibus, & morte
ipsa desperemus, non simus securi, euntes in viam
Caini, & posterorum ejus, qui pravis suis concu-
piscentiis indulserunt, cum damno bonorum, quos
oppresserunt, & malis artibus atq, rapinis divitias
suas congregaverunt: quapropter diluvium ut inu-
tilia terra pondera, eos de medio sustulit, & prope-
diem justo iudicio sistentur.

Nunc enim novissima dies imminet, & hora ul-
tima est, qua semper concio Henochi in auribus no-
stris nobis sonet: ecce venit Dominus in sanctis
millibus suis, facere iudicium contra omnes im-
pios, de omnibus operibus impietatis eorum, qui-
bus impia egerunt, & de omnibus duris, quae lo-
cuti sunt contra Deum peccatores impij.

Vox impiis horrenda, vox incredulis tremenda.
Quocirca nos omnes & singuli ad gloriosissimum,
summi iudicis adventum, vera scilicet poenitentia,
nunquam differenda, preparemus.

Syr. 5.

Preparemus nos fide vera, & dignis poeniten-
tie fructibus.

Luc. 3.

Corrumpunt bonos mores colloquia prava,
inquit Apostolus. Fugiamus igitur prava consortia,
memores verbum Theognidis:

1. Cor. 15.

Κακοῖσι

κακοῖσι ὃ μὴ προσομίλει
ἀνδράσιν, ἀλλ' αἰετῶν αγαθῶν ἔχειο,
Καὶ μετὰ τοῖσιν πίνε καὶ ἔσθιε, καὶ μετὰ τοῖσιν
Ἴξε, καὶ ἀνδανε τοῖς, ὧν μεγάλη δυνάμις·
Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἅπ' ἐσθλα ματήσεαι, ὡς κα-
κοῖσι

Theognis
p. 19.

Συμμιχθῆς ἀπολῆς καὶ τὸν ἑόντανόου

—— (Cum) malis neverfare

Veris, sed semper (cum) bonis conversare:

Et cum eis bibe, & comede, & cum eis

Sede: & place illis, quorū magna potestas (est)

A bonis enim (viris) bona discas: si vero malis

Commiscearis, perdes & quam habeas mentē.

*Sunt enim nonnulli, qui cum honestissime lo-
quuntur, turpissime vivunt. Caveamus ergo ne aut
nos similes eorum simus, aut eis similes nobis adjun-
gamus: sed eos eligamus, & nobis in contubernium
adhibeamus, qui suos mores non honestant verbis,
sed verba potius condecorant moribus; & quae nos
facere pudet, ea dicere nos quoque pudeat; & quae di-
cere pudor vetat, ne cogitare quidem libeat. Eij-
ciendi ergo & contubernalium & commilitonum
pravi mores, atque studia improba.*

*Qui enim cum hominibus improbis semper ver-
satur, eum vel pati vel discere malum aliquod ne-
cesse est: qui vero unā cum bonis degit, vel imita-*

F

tionem

tionem honestorum edocetur; vel diminutionem viciorum condiscit.

Audiamus quoque ad calcem orationis nostrae D. Pauli notabile dictum: ecce mysterium vobis dico: non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur in puncto temporis per extremam tubam.

Ipse jubet mortis te meminisse Deus inquit Poeta. Qualis enim quisque hinc egreditur, talis in iudicio aestimabitur ait quidem veterum.

Quapropter in tota vita discendum est mori ut Seneca verbis utar.

Sed haec omnia venerandis Theologis majori Spiritu proponenda committo.

Ego vero textum Moysis de Patriarcha Henoch legendo & relegendo meditatus sum, quae pro ingenij mei tenuitate hac hora in medium protuli,

Primum, ut Dominis Praeceptoribus exoptatissimis studia mea adhuc quod facile intelligo cruda, uti par est, probarem.

Deinde, ut florentissima huic studiosorum corona, de ista hac hodierna felicitate, qua in incluta nostra Julia utimur, fruimur, in signum non fucati, sed sinceri amoris gratularer.

Ex abundantia enim cordis os loquitur, inquit. Salvator Dominus Iesus Christus, qui factus non est à Deo

à Deo est Sapiaentia, Iustitia, sanctificatio & redemptio, ut quemadmodum scriptum est: qui gloria-
tur, in domino gloriatur. 1. Cor. 1.
Ierem. 9.

Tandem, ut nos in hac academia divinitus quasi congregati, etiam hac vice de glorioso summi doctoris adventu cogitaremus: non solum ut digni habeamur fugere omnia ventura mala, & stare ante filium hominis, sed etiam cœlestis academice gustum præcipere, ad vera gaudia anhelare, & æternam gloriam & immortalitatem omni conatu adspirare incipiamus.

Sed finem dicendi facio, ne singulari vestra benevolentia & humanitate, nunquam satis laudanda, abuti velle videar.

Gratias itaque ago magnifico Domino Pro Rectori, Reverendis, item atque clarissimis, præstantissimis & doctissimis dominis Professoribus, Præceptoribus dignissimis & honoratissimis.

Nec noc eruditionis laude studiosorum huic coronæ Nobilissimæ & florentissimæ. Vobis (inquam) omnibus & singulis gratias quas animo possum concipere maximas, ago, quod me balbutientem magis, quam per orantem, audire, dignati fuistis.

Ego studia & officia mea qualiacumque sunt, Senatui, & civibus academicis repromitto, & reverenter defero, in timore & fide ejus, qui constitutus

¶

Et futurus vivorum & mortuorum Judex est, &

————— munera solus

Impetrat æternos, non peritura dies.

Nos pascit, nos ex tenebris ad lumina solis


Ducit, & ad vitæ gaudia vera trahit.


Sit laus grata Deo, qui nos juvat, auget & ornat,

In verbo servet nos Deus ipse suo!

F I N I S,







Et idem spiritus, dividens unicuique; pe-
o ut vult.

Canè in praeceptoribus nostris quotidie
nus: Et pro eiusmodi donis, illis omni-
lis concessis, Deo opt: max: merito Et
gratias agimus. Admiramur in uni-
d fatis praedicare non possumus.

verò nobis quoque, discentibus omnibus
sumptus non deessent, aut deficerent,
Illustri Julij Julia, etiam duris hisce
quetamen omnipotens Et misericors
ter mitigare dignetur) commemorari pos-

Votum.

im nostrum non deletaret, viros tan-
dere, audire, observare, Et eorum con-
frui? Nihil do auribus. Veritatem
oti nos compotes faciat, qui discipulis
, Et Danieli, nec non socijs eius bene-

loquitur, quod ex hac academia, non
nc ducatum, sed in omnes verè mundi
am ex equo Trojano (ut Cicero loqui-
t, quorum alij ad scholarum, alij ad
alij ad Rerum publicarum gubernacu-
vinis praeceptorum suorum donis ad-
mini grata, hominibus utilia, sentiant
t.

E 2

Retris-